

Audieram ex ore veritatis, esse spadones, qui seipsos absciderunt propter regnum coelorum, sed, qui potest (inquit) capere, capiat. Vani sunt certe omnes homines, quibus non inest Dei scientia, nec de iis, qui videntur bona, poterunt invenire eum, qui est. At ego jam non eram in illa vanitate: transcenderam eam, et contestante universa creatura tua, inveneram te creatorem nostrum, et verbum tuum apud te Deum, tecumque cum Spiritu sancto unum Deum, per quod creasti omnia. Est et aliud genus impiorum, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. In hoc quoque incideram, et dextera tua, Deus, suscepit me, et inde ablatum posuisti, ubi convalescerem, quia dixisti homini: Ecce pietas est sapientia, et: Noli velle videri sapiens, quoniam dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt. Et inveneram jam bonam margaritam, et venditis omnibus, quae haberem, emenda erat, et dubitabam.

#### CAP. II. DE VICTORINO RHETORE CONVERSO.

Perrexi ergo ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua tunc episcopi Ambrosii: quem vere, ut patrem, diligebat. Narravi ei circuitus erroris mei. Ubi autem commemoravi, legisse me quosdam libros Platoniorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romae, quem Christianum defunctum esse audieram, in latinam linguam transtulisset, gratulatus est mihi, quod non in aliorum philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum, et deceptionum secundum elementa hujus mundi; in istis autem omnibus modis insinuari Deum, et ejus Verbum. Deinde ut me exhortaretur ad humilitatem Christi, sapientibus absconditam, et revelatam parvulis, Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romae cum esset, familiarissime noverat, deque illo mihi narravit, quod non silebo. Habet enim magnam laudem gratiae tuae, confitendam tibi, quemadmodum ille doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus,